... (?).
... ost.)
cursus poeticus via historica
per omnes circumstantias mon-
tis Calvi.
Crac. typis Acad. 1729.

M. Antony Łochkiewski Ukra Dis et Phi.

CURSUS POETICUS VIA HISTORICA

PER OMNES CIRCUMSTANTIAS
MONTIS CALVI,
MONASTERII SANCTÆ CRUCIS,
Ab Anno Domini 1006.
Septingentis viginti tribus annis
Sub Cura
RR. PP. Ordinis S. BENEDICTI
Congregationis Cassinensis
in Polonia celeberrimi,

PER


M. JOANNEM CHRYSOSTOMUM
TORTOWSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctorem;
in Collegio Minori Ordinariū Eloquentiæ Professorem,

EXPEDITUS.

Anno Domini 1729.

CRACOVIÆ, TYPIS ACADEMICIS,

In Stemma Perillustris & Reverendissimi ABBATIS, tum Sacræ Religionis Polono Benedictinæ, Congregationis Cassinensis Montis S. Crucis.



I.

Electum cupiunt ABBATEM jura Canonum,
Est proprijs ABBAS legibus iste Pater:
Nam dum Christiferum præfert in stemmate signum,
ABBAS omnino debuit esse CRVCIS.

II.

Spargitur hoc vulgo veniant quòd montibus alta,
Celsaq; quod summis audio juncta patent.
Talia vix possem fateor narrata probare,
Instructus Caluo nonnisi Colle forem.
Conjunctus pridem Cassinis Montibus hic Mons,
Celsius hoc nexu suscipit ergo decus.

Perillustri & Reverendissimo Domino

D. STANISLAO MIRECKI,

Divina Vocatione Montis Calvi, Sanctæ CRUCIS,
Ordinis Sancti BENEDICTI ABBATI,
Domino Mæcenati Amplissimo,
Illustribus, Admodum Reverendis ac Religiosissimis ejusdem Monasterij Congregationis Cassinensis Patribus,
Patronis Colendissimis.

Etam Pòëtico Cursui meo præfixurus, antequam hanc in Minoris Poloniæ centro, & sacra totius Septemtrionis eminentia, Calvo nempe Sanctæ Crucis Monte constituam; prius te tanti ac tam Sancti supra septem secula celeberrimi Asceterij Præsidem dignissimũ, venerabundus adeo. Antistes REVERENDISSIME. *Divina etenim Vocatione ejusdem Calvi Montis*

ABBAS, non tantum ipſum Collem, verùm etiam ejusdem circumſtantias his Pòéticis paginis deſcriptas vides atq; regis. Non alio etiam, niſi Deo inſpirante, ex fervente hominibus mundo in ſolitudinem illam (quæ nobis præſenti tempore in media Polonia Scythim vel Thebaidem olim Sanctiſſimos Eremicolas foventes, facile repræſentat) deducti, Pretium mundi, Redemptionis humanæ teſſeram, certum gloriæ noſtræ in futuro ſeculo authoramentum, Crucem Chriſti Sanctiſſimam a Gemma ſanctitatis D. Emerico Principe collatum feliciùs quàm ego colligere potui, contemplamini Illuſtres, Admodum Reverendi, Religioſiſſimi Patres. Nam ſi Vobis tronos faſceſq; ſuos Polonia non negavit; imo ultro pulſata enixis precibus Roma, admotiſq; Petri clavibus Regiū auguſtal reſeravit, cùm per diſpenſationem & Paternam Benedicti protunc IX. Pontificis Maximi indulgentiam Carolum Veſtrum Diaconum, Caſimirum I. elegit Regem, & Piaſteæ Familiæ extremam ſpem ad Paternum ſolium è gremio Matris Eccleſiæ, ac Sacræ Religionis Veſtræ Benedictinæ ſinu reſtitutum coronavit; cur & ego è primæva Poloniæ Schola Veſtræ Thomiſticæ Palladi ſemper philadelphica opus hoc negem, cui Crux Chriſti, uti primi occupantis, poſt donatione Veſtra, materiam elargita. Redijt illa ad vos, quoties illam Vobis barbara

bara quondam abduxit Ethnicorum manus; impellit & nunc, ut quidquid de illa ſcribitur, fiat ſub nomine Antiſtitis REVERENDISSIMI *& Veſtro* PATRES *Religioſiſſimi, orbi manifeſtum. Illud miraculo (nam aliter à Barbaris redire non potuit) dandum, id humaniori Academici Apollinis indoli tribuendum. Si aliquem addit colorem, eum ad ſplendorem Religionis Veſtræ nitere vult, dum ſe Curſui accingit, hoc prætendit, ut promptus animus pronam erga ſe mentem Veſtram aſſequatur. Hic cum tiaratum Caput Abbatialibus ſolititudinibus ab ipſo ſuſcepto regimine feſſum adoro, ſingulos ad integritatem Religioſi Corporis Veſtri pertinentes veneror: nam quos* DEUS T.O.M. *in charitate conjunxit, nec Numen meum officio debiti cultûs audet ſeparare. Religioſæ vitæ unionem, Sacrum inſtituti nexum, parendi, præcipiendiq́ apud vos Sacramentum videretur in Vobis diſſolvere, qui vos ſibi una neceſſitudine negligeret obſtringendos. Ligatum non ſolutum fero ſtylum, ideoq́ facilè ſummis infimiſq́ obſequentem, cui cùm tantum deſit acumen, ut velut acu rem tangat; ſufficiet, vel ipſam tamen voluntatem ſcribentis à Vobis approbandam. Vos à D. Patriarcha Veſtro* BENEDICTO *è ſpecu Sublaco in lucem orbis publi-*

 cam

cám educti, activam contemplativæ jungentes vitam, Apostolico zelo accensi, totum fere Occidentem ad cognitionem Solis Iustitiæ perduxistis. Angliam per Augustinum, Daniam & Sveciam per Ansgarium conversam vobis Europeus debet Orbis. Poloniam si non conversam, certè in fide confirmatam D. AD-ALBERTO & Vobis Cassinatibus, primis Poloniæ in Calvo Monte Incolis attribuit. Sanctitati BENEDICTINÆ inter nemora, lucos & asceteria conditæ adjungit se eruditioniis lumen. Nempe plurimæ in Europa Universitates à vobis vel erectæ vel rectæ, quod manifestum Parisiensis reddit, quæ à CAROLO Magno excitata, ab Alcuinum Vestrum tanti Cæsaris Præceptorem vobis commissa, hucusq; nulla minor spectatur sapientia. Monstrant Orbi Navarra Hiracum, Hispania Ovetum, Belgæ Duacum, Germania Salisburgum, in quibus Vestræ literæ vigentes, satis luculenter proponunt, Vos simul eruditè esse ab asceticam sanctitatem benedictos. Vindicat etiam ex vobis sibi Theologia Sacra S. GREGORIUM M inter Doctores Ecclesiæ primos relatum, gaudet Ius Canonicum & Civile Gratiano & Nicolao Tudeschio Catanensi Abbate Panormitano. Medicina extollit CONSTANTINUM Cassinensem, Naturalis scientia BONIFA-

CIO

CIO Simoneta, Morális Bercorio, Astronomia Campano Lombarto, Arithmetica Cotracto Hermano, Poesis Quintino Duretio, supereminent. Singuli hi in sua Religione pientissimi & omnes in sua arte peritissimi. Adjungo his BEDAM *angelica salutatione Venerabilē, vitæ innocentia sanctum, eruditione & consensu omnium pene inter primos, Doctorem recensendum. Quinimo ad mentem vestram eruditus agitur Orbis, ad Cassinensium judicium etiam sublimia deprimuntur ingenia, non ob Montis Cassini celsitudinem, sed ob parvi Aquinatis primam ætatem vestris ibi literis ad stuporem instructam universi. Bene de Christo scripsit* TOMAS, *non miror, quia apud Benedictinos, & quidem Vos Cassinátes legere scribere à quinquennio didicit. Aquinaticæ ergo sequax animus scientiæ, facile Vestro affunditur Colli, ut ubi Tomistica Pallas celso supereminet alto, infra hoc ille suam excitet Hypocrenen. Reflecte igitur soli cælo & DEO immersam mentem Antistes* Amplissime *pariterq́;* Reverendissime *in opus præsens, & quod Montis Vestri & Sanctæ Crucis præsefert circumstantias, benigniori illud* Illustres Admodum Reverendi ac Religiosissimi PATRES *donate intuitu. Quia Te candidior Musa Abbatem* Reverendissimum, *id est Patrem adit, facile præsagit Mæcenatem. Non hîc*

labo-

labores pro bono Congregationis, ſuſcepto non ſemel ad remotas Auſoniæ oras itinere, innuo; non ad ſanctum velle Tuum nutantes ſepticollis Romæ montes, refero, hoc potiùs involvendum reor ſilentio, quod expreſsè loquuntur ſuæ activitatis documenta. Sufficiet motui Poëtico accincto, mihi in gratias & favores Veſtros incurrere & tam ad præſentiũ quàm imminentiũ temporum revolutionẽ Benedictinis bona omnia precari; uti voveo PERILLVSTRIS & REVERENDISSIMÆ DOMINATIONIS VESTRÆ, ILLVSTRIVM ADMODVM REVERENDARVM, RELIGIOSISSIMARVM PATERNITATVM

Obſervantiſſimus Servus.
M. I. C. T.

Synoptica Relatio Fidei Christianæ in Polonia, Religionis Benedictinæ & Sanctæ Crucis in Monte Calvo.

CONstat inter Principes Poloniæ primum Miesskonem alias MIECISLAVM *ducta in Uxorem* DOMBROWKA BOLESLAI *Sævi Principis Boemiæ Filia fidem Christi suscepisse, ac tota, quæ tum patuit Polonia, sacra Christiana propagasse. Et quia fidelis Conjux velut in dotem, veram huc tulit fidem, facile secum non Orthodoxos solum, sed & Apostolicos traxit Comites, ut aut Ethnicam Polonorum gentem ad verum* DEVM *ab idolorum cultu converterent, vel certè rudem adhuc rerum fidei, in ejusdem mysterijs instruerent. Inter quos aliquot ex Ordine Sancti Benedicti, ex Urbe Boemica Zozya Religiosi, tam studio Principis, quam zelo propagandæ Fidei evocati Calvum Montem in Minoris Poloniæ Palatinatu Sandomiriensi undiquaq; profundis sylvis cinctum ad ædem Sanctissimæ* TRINITATI *Sacram, verùm eo tempore angustam & humilem inhabitarunt. Contigit successu temporum* BOLESLAVM CHROBRI *Regem Poloniæ* MYECISLAI *Filium cum Sancto* EMERICO *Principe* S. STEPHANI *Regis Hungariæ Filio in adjacentibus Sacro Monti dumetis vena-*

tioni indulgere: ubi Superis ita disponentibus, cum Cervo præcurrenti D. EMERICUS ferventiùs insisteret, & se ab aulico BOLESLAI comitatu subduxisset, in ipso Montis Calvi aprico Angelus ei apparuit, & ut particulas Sacrosanctæ CRUCIS in illo templo reponeret divinitùs admonuit. Paruit Divino nutui Sanctus Princeps, imo Regem Patruũ eo inclinavit, ut & magnificentius templũ excitasset, & liberaliùs Servos Dei providisset; inde Mons Sanctæ CRUCIS vocatus, mox à novellis Christianis frequentari cæpit, post famâ miraculorũ etiã exteris increbruit. Particulæ Sacrosanctæ CRUCIS sunt quinq;, à D. HELENA ex illis ligni vitæ partibus excissæ, quæ maximè Corpus patientis CHRISTI attingebant, CONSTANTINO M. Filio Hierosolymis Romam transmissæ & post translatum in Orientem imperium, diu in thesauro Imperatorum Constantinopolitanorum asservatæ (quanquam à Benedicto VII. D. Stephano simul cum corona oblatas sentiant alij) Affinitas tamen cum præfatis Imperatoribus imo & Sanctitas evicit; ut D. STEPHANO Regi Hungariæ donarentur, ille vicissim easdem EMERICO Filio committeret. Qui apud Patruum BOLESLAUM Regem Poloniæ hospes, præfato miraculo pretium Redemptionis Calvo Monti, Ordini BENEDICTINO & toti Poloniæ elargitus.

CVRSVS POETICVS,

VIA HISTORICA,

Per omnes Circumſtantias Calvi Montis, Sanctæ CRUCIS, Expeditus.

Locus, ſitus, & primitivi Incolæ Calvi Montis, eorumq; exitus.

SErius in Patrios Montes dum lumina vibro,
Adverto Calvo cedere ſumma jugo:
Nam Sandomirio quæ ſiſtunt ardua tractu,
Colle Sacro verax eſſe minora probo. (*a*)
Nullus tam celſo conſurgit culmine, nullus
Mons ſe ſub nitidos vult ſinuare polos.
Sit licet in ſummo viridi non arbore tectus,
Sed vitæ ligno contegit ille caput.
Corporis hic grandis quondam manſere Gigantes,
Fulmine qui ſummi jam periere Jovis.
Falſa probas vates, nam non ſunt ignibus uſti,
Sed potius pluvijs interiere poli.
Hoc tamen eſt verum, hic manſit quòd Fæmina Victrix, (*b*)

Hostibûs evictîs illa superba nimis.
Nam voluit cultum falsæ sibi ferre Dianæ,
Ob quod s.d vero fulmine tacta fuit.
Corruit aula simul, fulmen cùm mænia torsit
Inde ibinuncmuri fragmina crebra jacent.

(a) Mathias Miechoviensis l. 2 Chronicorum Regni Poloniæ C. 2; (b) R. P. Martinus Kwiatki wicz O. S. B. ex H.storia Boemica de Sancta Cruce f 1533.

Cultus Deorum Gentilium in Calvo Monte qui?

ANte fidem Christi fuerat sine luce Polonus
Numine pro vivo, nam simulacra colens.
Dum vehemens flavit ventus vel sibila fudit, (a)
Inde dabat Dijs nomina ficta suis.
Ast in Monte Crucis Pollux cum Castore Fratres,
Miro hominum plausu Ledaq; culta Parens.
Mieszko tamen Princeps oculorum lumine captus,
Dum cum oculis Christi suscipit ille jubar,
Mandat, ut expulsis de Regno protinus umbrîs,
Omnes propellant Numina tetra procul;
Sic de Monte sacro & vos tandem pignora Ledæ
In præceps Princeps jusserat ire stygem,
Pro fano statuit tum Dabrogneva Sacellum, (b)
Dum Conjux Regis cæperat esse pij;
Sancta Trias ædi dederat sua nomina parvæ,
Dæmon ubi triplex fixerat ante locum,
Mox Benedictus adest, ut ubi maledicta fuere,
Ipse bonum Numen nocte dieq; canat.

(a) Ioannes Dlugosi fol: 72, (b) RP. Kwiatkiewicz f. 3. Historia S. Crucis:

Polo-

Poloni antequam Christiani ad Calvum Montem Pannonum Maravorumq; astu Premyslai post sui Principis, Victores, feliciores triumphorum eventus à Monte Sanctæ Crucis suscepta Christi fide deducturi.

PRincipium qvod regna suum præclara videbant,
Rarò pacificis obtinuere modis.
Certatum longo sævi luctamine Martis,
Græcia Dardanidum ne minor Urbe foret.
Ante dolum missi propriæ Tritonidis arci
Grandis Eqvi, Græcis Pergama dura stabant.
Tum demum proprio consurgere nomine visi,
Dum ignibus ingestis Troia superba ruit.
Assyrias vires & nigri Regna Darij.
Non aliter, bellis quàm viguisse scio.
Magnus Alexander Persis Indisq; subactis,
Regnorum clarus nonnisi strage fuit.
Est Bellona Parens, sævus Genitorq; Gradivus
Romæ, quæ Fratrum nota cruore priùs,
Quam toti Latio, domitæ Carthaginis Urbi
Extremo Nilo fortia jura daret.
Dirutis Vejs domitis populisq; Sabinis,
Tunc cæpit Mundi Roma levare Caput.
Nec vos France potens simulac Germania fortis
Pacis & armorum provehit orbe decus.
Candida Gallorum denigrant Lilia motus.

Discerpunt Aquilas prælia Theuto Tuas
Si quæ consurgis noviter gens maxima mundo,
Bella favent potius, pax inimica Tibi.
Dispare vobiscum sed nostra Polonia crevit
Principio, tunc cunctis motibus illa procul.
Alta quies, desertus ager, tum gloria Fratres
Tres de Sclavonico provocat alma solo.
Suscipit una Czehum tellus, hæc altera pandit (b)
Campos, sponte sua læta subesse Lecho.
Tertia cum Russum sub frigida sidera traxit,
Arctica sic veniunt Fratribus arva tribus.
Incultas terras, sylvis horrentia tesqua
Hic quondam fecit barbara præda Gothi.
Hinc deerant curæ, curas poscentibus arvis,
Qvum nemo Sarmaticam scidit arator humum.
Nec domus ulla fuit, qua posset mobilis hospes
Ponere securus tædia longa viæ.
Nunc ubi Gnesna sacræ præfulget culmine mitræ,
Regia tunc inibi nidificavit Avis.
Cùm Lechus ad dictam devenit proximus oram,
Regni de nidis omina certa capit.
A nido Gnesnam condit, pro sedis honore
Vultq; Aquilam gentis stemma nitere suæ.
Sic nullo motu, nec fuso sangvine crevit,
Quæ nunc tam latè Terra Polona patet.
Quave qviete Lechus nostras tunc occupat oras,
Has simili felix advena pace fovet.
Crede libens cæsis latè tum quercubus isto
Cumq; oleis lauros invaluisse solo.
Et quæ terra fuit condensis obsita sylvis, Post

Poſt, ſed pacificè clara trophæa tulit,
Invida tranquillis aliquot poſt ſecula rebus
Noſtris, externi gens pharetrata poli
Panno, Moravus atrox aſſumpſit Martia tela, (b)
Et bene jam culti fit populator agri.
In prædam cedit regnum ſpoliumq; ſuperbi
Hoſtis, cùm nullus tela timenda levat.
Augemus vires adverſis auſibus, ipſi
Ob longam pacem corde manuq́ pigri.
Sed Superi, quorum curæ ſunt pignora rerum,
Qui populis pacem, vel fera bella canunt:
Ut noſtram primum juſſerunt creſcere pace
Terram, ſic motas compoſuere minas.
Inter Sarmaticos quidam præcellere Cives
Viſus mente magis, quàm bonus arte Faber.
Inde gerit nomen celebris Premyslaus orbe
Non auro pretium, ſed mage fraude ferens.
Civibus hic prædas proponit monſtrat & omnem,
Iam Patriam duro ſuccubuiſſe jugo.
Attollant animos, conjunctis viribus hoſtem
Pellant, honeſtum vivere ſicq; mori,
Ingenio proprijs tentent ſuccurrere damnis,
Si deſint vires bella movere pares.
Ipſe rei tantæ motor cum tempore quærens
Sponte locum, jurat, Victor ab hoſte fore.
Et factum, caſu ſub Calvi culmine montis
Prædo frequens ſylvis læta ſtativa jacit:
Non metuens preſſum prælongo tempore Civem,
Baccho dona litans Io triumphe canit.

Sicq; die noctuq; manet tutissimus isto,
Sarmata quod varijs iverit erro víjs.
Dux Faber arte suas cæpit formare catervas,
Cùm truncis animum, bella gerenda dedit.
Cortice deducta crebris arboribus illam
In formas hominum dexter abire facit.
His galeas auro pingit, mox pectora glauco
Ad normam ferri fullo colore linit.
His arcus aptat, clypeos his porrigit enses,
Militis ut truncus posset obire vices.
Id noctu factum, Sol ut resplenduit Orbe,
Hostis præter spem Castra Polona videt.
Castra timenda satis, quæ vox distantia tollens
Millia de sparsis vulgat adesse Getis.
Fulgor obryzeum demonstrat quando colorem,
Multorum quando ludit imago virûm,
Non censent hostes fixa persistere sede
Sed potius proprijs terga dedere vijs.
Insequitur post viva Lechi per devia pubes
Agmina, prædoni fitq́, cruenta cohors.
Ulta suum, Patriæ, tali molimine damnum,
Post discens solido pellere Marte malum.
Contigit ad Calvum Montem victoria dicta,
Dum quondam nostra hæc Ethnica Terra foret.
Nunc cùm legitimo sequimur pia Numina cultu,
Tollimus in signo multa trophæa Crucis.

(a) Cromerus l 2. de Rebus Polonorum C. 14.
(b) Idem L. 2. de 12. Palatinis iterum.

Laus

Laus Dabrognevæ Conjugis Miecislai Principis Poloniæ Primi Christiani, quæ ex Boemia in novam ædem Sacram Calvi Montis, PP. Benedictinos introduxit.

FElix Sarmaticum proprio cum Principe Regnum,
Cûi Dabrognevam Terra Boema dedit. (a)
Namq; fidem Regnum, Princeps sua pignora debet,
Ad thalamum Conjux quando petita fuit.
Non Christum nobis svaserunt verba virorum,
Sed potiùs svasit Fæmina sancta Viris.
Effuso quondam Sanctorum Roma cruore
Vix tandem potuit subdere colla Deo.
Nos convicit amor pactus per fædera vitæ,
Non labor intensus suave subire jugum.
Hæc Princeps secum Benedicti ex Ordine quosdam (b)
Ducit & in Calvo Monte manere petit.
Committitq; pio Montem moderamine regi,
Impia quem nuper dedecorâre sacra.
Sic meruit Mater Patriæ Dabrovca vocari:
Namq; Patres nobis cum fide prima dedit.

(a) *Miechoviensis l. 2. C. 1.* (b) *RP. Kwiatkiewicz ex Ioanne Długos.*

Poloniæ noviter ad Dei veri cultum è Paganismo conversæ de RR. PP. Benedictinis uti primis omnium Religionum ad se Advenis sensus.

Vmbra

UMbra fui quondam quamvis perſplendida bellis,
Quòd mihi defuerit lucis amica fides.
Nunc cum luce mihi data ſunt nova lumina voſmet
Inde polus verè Terra Polona vocer.
Néc dubitó fieri talis, cùm ſidera ſitis.
Nil mihi ad cæli nomen abeſſe reor.
Gentibus & Populis multis jam ſacra tuliſtis
Gratulor & per vos hæcce relata mihi.
Vos inter primos video nunc flore laborum
Meſſem Sarmatico conciliare ſolo.
Vos etiam (præſtat dignos penſare labores)
Semper amore ſequar, ſemper honore colam.
Nunc precor in Calvum Patres conſcendite Montem,
Pulchrior à Veſtro hic Ordine Collis erit.

Venatio BOLESLAI CHROBRI Regis Poloniæ cum Divo Emerico Principe Hungariæ circa Montem Calvum admiranda.

SAngvis nexus erat, quo Rex cum Principe vinctus
Divelli crebrò non potuere ſimul.
Nempe Boleslao Princeps gratiſſimus hoſpes
In Regno Patrui nectit amore moram,
Chrobrius aſſvetus tempus conſumere bellis,
Torporem pacis cæde levabat apri.
Emericus quamvis nullis ſe miſcuit armis,
Aſt ſe venatum jungere ſæpe ratus. (a)
Cum ſemel umbroſæ veniunt ad devia ſylvæ

(a) *Miechovienſis l. 2.*

Ambo

Ambo diverſis mox abiere vijs.
Cauſa fuit Cervus, qui dum præcurrerit illos,
Solum perduxit rupis in alta Ducem.
Sed fugiens iſthinc, eluſit Principis ictus,
Et medijs ſylvis reddidit eſſe vagum.
Illico ſe monſtrat cælo delapſus ab alto
Angelus erranti talia verba loquens.
Non paveas poſco Princeps gratiſſime cælis,
Sed Duce me tutam per nemus ito viam.
Quid facias mandante Deo, mandata reponam
Et Superum Princeps expeto juſſa ſubi.
Hinc per ſylvarum ſaltus in vertice Montis
Siſtunt ambo Duces, terreus, ille poli.
Incipit Emerico cæleſtis Penniger acres
Ferre minas, dictis pareat ille ſui.
En Templum Calvo ſituatum culmine cernis
Hoc facias jubeo perceler eſſe Crucis.
Scis bene ſuſtulerit paſſum quod Golgotha Chriſtum,
Mons illi ſimilis præferat iſte Crucem.
Prome volo præſtò ſacrum de pectore lignum,
Inq; loco Calvi verticis eſſe ſine.
Siq; tenax fueris reddendi, Numinis ira
Imminet, & vindex certa teporis erit.
Nec poteris Temet denſis evolvere ſylvis
Uſq; lubens feceris, quod jubet ipſe Deus
Non negat hæc Princeps, lignum mox ferre paratus (b)
Dummodo Kielciaco ſe probet eſſe ſolo.

(b) *Hiſtoria Boemica de S. Cruce f. 5.*

Angelus Emericum tractum mox duxit ad illum
Atq; levi motu cesserat inde polum.
Tunc sistit Princeps errans ubi Kielcia lætus,
Kielcia Præsuleo nunc celebranda loco.
Hic fuerat rerum processus, tempore quonam
Crux fuerat Calvo Monte locanda Dei.

Erectio Novæ Ædis Sanctæ Crucis à BOLESLAO CHROBRI ad preces D. Emerici facta, ubi & victoriæ ejusdem BOLESLAI Regis inducuntur.

CHrobrius Emericum longis erroribus actum
Tantisper Patruus corde gemente dolet:
Sed postquam vidit fuerit quod Numine salvus,
Gaudia pro summo magna dolore vocat.
Princeps visa refert, cæli mandata reponit,
Debeat in Calvo Monte locare Crucem:
Hinc Patruum votis solidis precibusq; fatigat,
Digna Crucis Christi ponere templa velit.
Ipse stupor facti magno permistus amori
Convicit Regem non renuisse preces.
Quodq; Nepos petijt, Patruus concludere duxit,
Calvitium Montis dum tegit æde nova.
Larga manus sumptum tribuit, sed Græcia formam (a)
Templo, quod proprio longiùs Orbe patet.
Est opus hoc Regis, primus qui fronte coronam.
Gesse-

Gesserat, & Regum maximus ipse fuit.
Si documenta petis, certum dat Russia plausum,
Quam docuit gladio frangere nolle fidem.
Sarmaticos fines ausus tentare Boemus,
Sed pulsus cessit centupla præda Lecho.
Optimus hic Regum veniens ad littora Salæ
Nomine, non armis quam mage Victor erat.
Ad famam populus tanti se Pancipis inde
Subduxit, certò prælia sæva timens.
Hinc medio Salâ Rex mox statuisse columnam
Censuit, ac liquit nomina sculpta sui.
Inde redit victor Lechicis præclarus in oris.
Templa locat Divûm, surgere vultq; tholis.
Promeritus passim laudes, hîc culmina famæ
Calvo quòd Templum pro Cruce Monte struit.

(a) *Martinus Cromerus l. 3. f. 54.*

Sancti Emerici Principis Hungariæ laus, cujus beneficio Templo Calvi Montis collata Crux Sanctissima.

O Princeps Juvenis quo Te nunc dignor honore,
Te majore polus censuit esse sacrum.
Sed tamen & nostrum posco Tu suscipe munus,
Non spernunt Superi munera parva dari.
Gloria cælestis pridem Tibi cesserat, opto
Non renuas laudes, quas Tibi reddo solo.

Caſtus amor cæli felix Tua pectora vicit,
Vt ferres redamans debita corda Deo
Tu Stephano Patri ceſſiſti jure corona,
Illè Deo charus, Tu pius eſſe cupis.
Ille polos auxit, nec Tu de limine cæli
Exul, ſed ſocium Te tribuiſq; Patri.
Quàm Pater eſt felix, nec Te felicior alter
Qui natus terris Progenitore pio.
Exardens Chriſti ſincero totus amore
Ad Solymi tendis pignora ſancta loci.
Inde redux mentem mergis cæleſtibus, ima
Deſpiciens mundi fallere ſæpe rei.
Hoſpes Tu magnus noſtri ſub climate Regni
In Patrui fueras totus amore Tui:
Et ſui Te pretium vult tota Polonia noſſe,
Quòd vigeat per Te nunc opulenta Cruce.
Signa Crucis Sanctæ Calvò dum Monte reponis,
Lumina jam Divus Golgotha noſtra ſubit.
Iam patet in noſtris oculis nunc paſſio Chriſti.
Quam Solymæ tantum viderat ante dolor.
Perge rogo noſtri foveas Tu commoda Regni,
Et Calvum Montem tu tueare precor.

Seria Indagatio per quas manus alias atq; alias hæc Crux Sanctiſſima tandem devenit in Calvum Montem.

POſt varios caſus poſt tot diſcrimina tandem
Chriſtiadis redijt pacis amica dies.

Nam

Nam Conſtantinus celſus moderamine Romæ,
Ipſe fidem veram ſuſcipit atq; probat.
Sub juga jam fidei ſupponere colla Quirites
Mandat, qui populis plurima jura dabant.
Hic ſimul euvlgat ſua latè edicta per Orbem
Crederet in Chriſtum plebs malefida Deum.
Tunc Helenæ Matris ſubijt præcordia fervor,
Qværeret ut Chriſti Lynx pia ſola Crucem.
Hinc petijt Solymæ per mundum mania claræ,
Seria Divinæ ſit ſtudioſa Crucis.
Iam fodit & montes, perluſtrat viſcera térræ,
Omni contendens hanc retinere modo.
Ethnicus aſt error vero præponere falſa
Doctus, ubi fuerat Crux, ſua fana ſtruit.
Hoc dubium certè permagnæ in rebus agendis
Molis erat, varians Regia cæpta diu.
Sed tandem Superum, qui regunt omnia, nutu
Crux effoſſa manet gaudia multa levans.
Cæſaris en Mater tollens tellure trophæum
Signa Crucis Nato mittere læta parat.
Partibus ex iſtis, potiùs quæ vulnera Chriſti
Tangebant, ſecuit munera quinque Crucis.
Si quæ occurrebant bellanti prælia Nato,
In medias acies hæc ſacra tela tulit.
Et quia translatos ſuſceperat Aſia faſces
Iſta etiam tenuit munera ſancta Crucis
Sed Stephano patrius poſtquam ſe ſubdidit Hunnus
Et ſubijt Chriſti Rege trahente fidem,

Excitus hac Oriens famâ, ſanctiſſima ſancto
Munera par pretium non habitura refert.
Emericus fuerat percarum pignus amoris,
Hoc pretium pretio dat Pater iſte ſuo.
Poſt dum Sarmaticis fit Princeps hoſpes in oris
Calvo Monte Crucem ponere juſſus avet.
His fuerat manibus Crux hæc ſanctiſſima, quæ nunc
Sæcula poſt ſeptem Colle locata viget.

Ad Crucem Sanctiſſimam ſangvine Chriſti conſecratam, OrdineBenedictino Religioſam, miraculis clariſſimam, concurſu Populi celeberrimam, volente Deo, jubente Angelo, annuente Divo Emerico, in Minoris Poloniæ, Palatinatus Sandomirienſis Calvo Monte locatam.

ALma Crucis Facies, qua non eſt pulchrior ulla,
Tu nos mortales exhilarare potes.
Vibra poſco jubar, nobis Tua lumina pande
Quæ reflexa Tibi ſunt moriente Deo.
Clara Sarmaticum ſuccendas luce trionem
Nomina qui nitido ſcit retinere polo.
Ut prius excelſus Te admiſit Golgotha vertex,
Sic modo Mons Calvus flectitur iſte Tibi.
Flectitur & liber populus nam Sarmata, læſa
Libertas non eſt ſubdere colla Tibi.

Non

Non vixit liber, quiſquis non ſeruijt unquam
Chriſto, nec cupijt ſubditus eſſe Cruci.
Sub juga jam Solymæ devenit gloria ſanctæ,
Quòd Te Divina ſit ſpoliata Cruce.
Sub juga jam Græcus Turcarum barbara ceſſit,
Quòd licet & dono Te caruiſſe ſciat.
Pannonios ſpectans etiam hi ſervire coacti,
Quòd mandante Deo Te tribuere Lechis.
O alijs ter felix noſtra Polonia regnis,
Quæ retines ſanctæ clara trophæa Crucis,
Gentibus è victis ceſſit Tibi gloria magna,
Sed non evenit viribus iſta Tuis.
Crux clypeus prodeſt, Crux mucro, lancea pugnat,
Quando devictis hoſtibus io canis.
Quod Cruciger domitus Tua nunc non arva laceſſat
Ejuſnam nam clades Crux benedicta fuit.
Nempe Jagello gravem vindex iturus in hoſtem
Hîc precibus fuſis à Cruce Victor ijt.
Crux igitur noſtro pulchrè quæ Monte niteſcis,
Ante velut, ſic nunc, poſt tueare meos.

Miraculum abductæ è Calvo Monte à Tartaris Sanctiſſimæ Crucis & prodigioſè reſtitutæ refertur: tum calamitates Poloniæ ſub BOLESLAO PUDICO, ſub quo id contigerat, exprimuntur.

Dice-

DIcere læta ſino, tempus nam flebile narro,
Imperium memoro quando Pudice Tuum.
Nam mala quæ noſtras unquam ſunt viſa per oras,
Hæc poterat preſſus Sarmata ferre tamen.
Sub Te non opibus ſolum ſpoliatus avitis,
Verùm pro ſpolio totus abiſſe gemit.
Scittha vagus Taurum montes tranſgreſſus Imaum,
In Campos Lechicos agmine grande ruit.
Omnia devaſtans ferro demandat & igni
Sub legem fati cuncta venire trahens.
Cum villis pariter claras populatur & urbes,
Nobile cum vulgo demetit enſe Caput.
Longiùs extenſum noſtrûm ſunt arma ſecuta,
Aſt ibi nos omnes ach perijſſe dolor!
Nam Scythico Marti præbens Legnicia Cannas,
Nos uno docuit funere poſſe mori:
Miraturq́; ſimul Pæni quod Tartarus aſtu
Non auro noſtros, auribus aſt ſpoliat.
Poſt cladem tantam nondum reſpiria duxit
Patria, mox ſequitur dira ruina ſui.
Nempe aſſvetus agros hoſtis vaſtare feraces
Agmine conferto currit in arva dein.
Proch ſuperi Sandomirijs crudelia tectis
Arma ſonant, tellus ſangvine tota rubet.
Quid narro rubeat tellus, en Viſtula fuſo
Enſe Scythæ tabo lætifer auget aquas.
Inde migrans rabies ſiſtit ſub culmine Calvo
Audet & in ſacrum protinus ire jugum:

Con-

Conſcenſoq; jugo quem non hic barbarus auſum
Exerit, & ſceleri non tribuitq; locum.
En primò demens vibrat implacabile ferrum, et
Occidit immitis corpora cuncta Virûm.
Tunc inquirit opes ſpolijs ut cedat onuſtus,
Omnia perluſtrans, omnia cara rapit.
Damna luenda gravi certè ſunt iſta dolore,
Ni majora forent damna carere Cruce.
Crux pretium mundi pariter ſubducta, metalli
Quæ tunc argenti pondere clauſa fuit.
Non pietas hoſtem traxit, ſed dira cupido,
Ut Cruce munitus pergeret ire procul.
Cumq; ſtetit velox ſua ſub confinia, cuncta
E ſpolijs ſtatuit barbarus ante Ducem.
Singula Dux verſans, quod carius eligit, eccè
Incidit in lignum divite vaſe placens.
Hoc ſtupet ille videns, cauſam tum bivius optat,
Præmia cur vili ſint data magna rei.
Hoc dubium ſolvit de noſtris compede vinctus,
Dum ſciſcitanti talia dicta refert:
Hoc Numen ligno noſtram Dux celſe ſalutem,
Quo fixum fuerat Tu reparaſſe ſcias.
Ergo quòd niteat cernis Crux iſta metallo,
Pro pretio cæli ſunt data dona Cruci.
Falſa ſibi dici, metas excedere veri
Dux reputans, lignum mergere tentat aquis.
Mirum! quòd juſti quamvis Crux ponderis eſſet,
Nec tamen undarum gurgite merſa fuit.

Nondum flexa Ducis tanto mens impia facto
Decernit flammis præcipitare Crucem.
Jacta rogo validos ignes Crux alma triumphat,
Quando de flammis exilit illa procul.
Hic stupor, hic rabies Scythicos en corripit artus,
Vellet quisq; suo sponte perire malo.
Pars oculis captam se se miratur & orbam,
Pars præceps flumen deperitura ruit.
Nunc demum fieri Dux non sine Numine tanta
Cernens, ut cesset (consulit) ira Dei.
Sensus erat, nocitura Scythis Crux promptiùs isti
Unde petita fuit, restituenda loco.
Sed deerat cladem Nomadum qui præsto referret,
Auderet jungi Dux sociusq; Cruci.
Castra timore gravi postquam nutantia vidit.
DEMBROTES Lechicas suscipit ire plagas.
Jussa Ducis complens, ad Calvi culmina Montis
Approperat portans rapta trophæa Crucis.
Sed Benedictinos sævus quia Tartarus ense
Sustulit & vacuum reddidit esse locum;
Ille caret cuinam spolium concredere posset,
Hinc recipit lignum certa caverna sacrum.
Sed postquam venit Monti novus incola Calvo,
Restitui cernis Tu Benedicte Crucem.
Non Thetis en nocuit, non Mulciber ignibus audax
Crux victrix semper cuncta perîcla tulit.
Ut data Crux Monti miris successibus isti,
Sic rediit paribus Crux sacrosancta modis.

Post

Post etiam simili cursu per Tartarus arva
Iste Polona volans, non nocet ecce Cruci.
Jam Lublinensi sistit vastator in agro,
Jam Sandomirio certa rapina solo.
Nec tamen in Calvum tentat procedere Montem,
Jam semel edoctus quid temerare Crucem

Epitaphium

82. Benedictinis Martyribus à Tartaris cum Abbate STANISLAO in Monte Calvo cæsis.

SIste pedem vitæ cursu qui tempora transis,
Longiùs ire licet, Te stare posco tamen.
Hìc posuere suam pro Christi nomine vitam
E Benedictina Religione Viri.
Ense Scythæ cæsi cesserunt victima Christo,
Victima cara DEO, congrua nempe Cruci.
Eripuit lucem crudelis Tartarus illis,
Sed cæli lumen sic patefecit eis.
Tunc spolium splendor Templi, Crux deniq; sancta
Extitit, & tandem vita rapina fuit. (a)
Abbatis tenuit tum Stanisilaus honores,
Hoc Duce tot Socios interijsse scias.
Non periere tamen, sunt inter sidera lati,
Barbara quos mundo sustulit ense manus.
Omnis crede piè celso quòd splendet Olympo,
Qui tunc in Calvo Monte necatus erat.

 Quam

Quam ſævus fuerit Nomades hac cæde notaſti,
Sævior a tergo mors inimica vide.
(a) *R. P. Stanislaus Sczygielski in Aquila Polono Benedictina.*

CRUX DIVINISSIMA à Lithvanis tunc adhuc Ethnicis abducta, miraculosè Calvo Monti reſtituitur.

NOndum ſe Lechico jungens Lithvania Regno
In ſociam noſtrò venerat illa bono:
Quin potiùs ſejuncta plagis & legibus æquè
Nunc quod amare petit, preſſerat ante ſolum.
Numina falſa colens, nobisq; fidelibus atrox
Certamen fuerat, continuuſq; dolus.
Irrumpebat enim noſtros Lithvanus in agros
Nec niſi cum præda ſæpe ferace redux.
In vulgum tragicò ferri qui ſævijt auſu
Et Superum templis hunc nocuiſſe ſcias.
Cùm ſemel in regni proceſſit longiùs oras
Ad Calvi venit limina ſacra jugi
Infuſus templo, Divûm populatus & aras,
Nec dextram ſancta retrahit ille Cruce.
Sed cùm ſe proprios ſubducere tentat in agros,
Finibus ex ipſis cedere prædo nequit. (a)
Nempe Crucem celeris tenuerat pro obijce curſus
Hinc etiam ſpolij Crux mora certa fuit.
Serius inquirens hoſtis quæ cauſa morandi.
Tandem non dubius cenſuit eſſe Crucem.

Mox

Mox relegare putat ſua tum ſub templa referre,
Ne pondus fieret Crux Sacroſancta fugæ.
Sic iterum redijt quodquod violentia munus
E noſtra voluit ſurripuiſſe manu.

(a) Herburt ſub Anno 1370.

VLADISLAUS JAGELLO adhuc Ethnicus temerè tangens Sanctiſſimam CRUCEM, aridam manum ſenſit, ſed ſtatim fuſis precibus ad Diviniſſimam CRUCEM, eandem ſanam & incolumem reportavit.

POſtquam defuerint Nati de ſangvine Piaſti
Ut Lechicæ poſſent ſceptra teneré plagæ:
Neptis erat Caſimiri, ſed quia Fæmina viſum,
Lechiadis illi quærere velle Virum.
Dumq; Proci plures certant pro Virgine tandem *
Hedvige cum juncta ſceptra Jagello tenet.
Ethnicus ille fuit, placuit concludere pactis,
Illum luſtralis perluat unda prius.
Hac causâ ſociæq; thori dum tendit ad urbem
Craci, divertit ad juga Calva Crucis.
Fratribus hic nitida tandem comitatus ab aula.
Vidit cum templo clauſtra patere ſibi.
Singula, dum ſpatians flagranti lumine luſtrat,
Tandem deventum eſt ad ſimulacra Crucis.
Inquirit cupidus cur nam ſit gloria ligno (a)
Auro cur claudi vilia ligna velint.
Reſponſum, quem contendis Rex credere Chriſtum

CHRISTUS in hoc ligno vulnera quinq; tulit.
Ille manu præceps audet comprændere lignum,
Cùm nullo cultu prosequeretur idem.
Sed temeros ausus fatalis pæna secuta,
Tacta fuit qua Crux, aruit illa manus.
Credere nunc cæpit, quòd res sit sancta fateri,
Et precibus petijt mox viguisse manum.
Arida sic proprium desumpsit dextra vigorem,
Sed prius hanc doluit Rex tetigisse Crucem.
Gratus huic facto, mox huc accomoda mittit
Fusam de obryzo munera nempe manum (a).

(a) *R.P. Kwiatkiewicz*, * *Ziemovitus Masoviæ Dux*, *Vilielmus Austriacus juxta Cromerum.*

Memoria CASIMIRI III. Regis Poloniæ, qui post incendium Sanctæ CRUCIS Monasterium reparari fecit.

IGne ferox flammisq; minax sua Mulciber arma
Intorsit vehemens in sacra tecta Crucis:
En subitò cecidere tholi, tum splendor honorem
Qvi tulerat templo disparet ille simul.
Ac pariter claustrum simili quod proruit ictu,
In medio cinerum grandia fata subit.
Sed pia Casimiri reparavit dextra ruinam,
Ausa fuit quam tunc Lemnia ferre manus.
Rex hic post Patris mortem, tum funera cæsi
Ad Varnam Fratris Lechica sceptra tulit.
Illi concessit sociam mox Austria vitæ

Quæ

Quæ fuerat crebrâ prole beata Parens. *
Te Casimire cano quamvis sis junior annis
Fratribus ex alijs sed pietate prior.
Id Tibi præstandum splendentia sidera poscunt,
In quorum medio Te renitere patet.
Sublimi multùm auctus Vladisilaus honore
Extitit esse capax ad duo Regna simul.
Illum Pannonij Regem fecere Boemi,
Externi Lechico tum paruere Viro.
Albertus proprio rexit sub climate gentem,
Celsus Alexander sceptra Paterna tulit.
Celsior est longævo Sigismundus honore
Viribus infractus, consilioq; potens.
Te Friderice DEO postquam sacraveras ipsum,
Murice Romano propterеaq; rubes.
Pignora chara Patris celso moderamine summa
Lætitiam video vos retulisse Patri.
Crux benedicta thronis certò vos extulit istis,
Illi nam Genitor munera larga dedit.
Æternas igitur referas Casimire coronas,
Hunc quòd præstiteris Rex reparasse locum.

(*) *Elisabetha Austriaca Alberti II. Imperatoris Filia.*

SIGISMUNDUS III. post expugnatum feliciter Smolenscum territosq; Moschos in Calvum Montem mittit Crucem & duas statuas Beatissimæ & JOANNIS Evãgelistæ argenteas idq; per VLADISLAUM Filium Principem.

Moscu-

MOſcua ſub gelido quamvis ſit fixa trione,
Attamen ingenijs callida ſæpe ſuis.
Moſcua quæ Litavis multum contermina terris,
Sæpe gravis noſtris ardua bella tulit.
Nacta tamen noſtro tantos ſub climate Reges,
Quorum ſe fractam viribus eſſe ſtupet.
Non alios memoro Stephanum non innuo, cujus
Ipſum vel nomen Moſcua tota tremit.
Sigiſmunde ſatis ſummi Tu ſigna laboris
Das, cum ſe ſubdit barbara Terra Tibi.
Nam ductis armis ſub mænia celſa Smolenſci,
Hæc & fortunatâ obſidione premis.
Enituit virtus ibidem tum fama Poloni
Non ſolis campi vincere poſſe modis.
Eſt domitum fractúmq; ſimul luctamine caſtrum
Victori palmas imperiumq; dedit.
Nec ſatis id fuerat, Moſchi terrore ſubacti
Rege ſatum ſceptro ſponte venire petunt.
Sed renuit ſervos animos hic regere, liber
Cûi Populus Lechiæ ſceptra Paterna dedit.
Dum Sigiſmundus victricia ſigna reportat.
Hoc fuerat ſancto gratus amore loco:
Nempe Crucem, Matremq; Dei, ſtatuamq; Joannis
Argento fuſas mittit ad alta Crucis.
Addidit hoc etiam donis dum reddere Natum
Iſta jubet, verè pignora chara DEO.

R. P. Kwiatkiewicz.

Celſis-

Celſiſſimus S. R. I. Princeps, GEORGIUS Dux in Oſſolin OSSOLINSKI, Supremus Regni Poloniæ Cancellarius, poſt expeditam nomine VLADISLAI IV. Regis Poloniæ, ad URBANUM VIII. honorificentiſſimam Legationē, Cruci Sacratiſſimæ thecam auream offert.

QVi pedibus ſummi Capitis quondam oſcula fixit,
Nunc iterum Romam Rex pius ipſe venit;
Non venit, aſt mittens Urbano nuntia verba,
Poſſe Lechos fluido comprobat ore loqui.
Ingreditur Tarpeias Oſſolinius arces,
Unum quem ſequitur ſplendida turba Virûm.
Traxerat iſte oculos ſplendor ſtupuere Quirites,
Quàm ſit magnarum Sarmata dives opum.
Summus in Orbe Pater dictis dum flecteret aures,
Mirâtus Latio florida verba ſtylo.
Tunc Barberinæ ferventes culmine ſancto,
Sarmaticum viſæ ſumere nectar apes.
Qui placuit Romæ, hunc Cæſar dignatus honore,
Imperij Princeps ut foret ipſe ſacri.
Hunc Veneti coluere Patres, hunc Anglia plauſu
Legatum medijs eſt venerata fretis.
Dux igitur poſtquam ſolus tot munia dextrè
Expedit, ingratus non cupit eſſe DEO.
In ſacra templa pius, Calvi non inmemor alti

Profu-

Profudit ſanctæ plurima dona Cruci.
Aurea quæ decorat lignum nunc theca beatum,
* OSSOLINIANÆ munera cerne manus.

Recenſentur Benefactores præcipui Montis Calvi, Sanctæ CRUCIS.

ÆTernis ſemper ſcribant hi Nomina faſtis,
Quos pietas flexit munera ferre Cruci.
Prima dedit Chrobri celſo fundamina templo,
Undeq; deberet Religioſus ali.
Sed populans agros hoſtis pia præmia Regis
Ne fructum ferrent, irrita reddit atrox.
Vivitur hinc decimis Poppo quas Præſule major
Jam dederat quondam certa tributa Viris.
Voyslaus egregiæ mentis calcaribus actus,
Appretians pretium, dat bona multa Cruci.
Creslaus en addit binas pro munere villas
Nec Benefactores terminat ille tamen.
Pondera certa ſalis donantur Rege Pudico
Condita tandem ſint ut data cuncta DEO.

Ad CAROLUM GUSTAVUM Regem Sveciæ qui regnante JOANNE CASIMIRO impunè Poloniam vaſtaverat, ſub quod tempus à Svecis Tres Religioſi Patres Benedictini crudeliter occiſi.

Rex

REx mare, qui terras ſub ſæva dirigis Arcto
Obſequiturq; cui Vandalus atq; Gothus,
Rex dico, juſtè dici ſi nomine Regis
Tu potes, excluſis Regibus inde probis.
Carcere detentus regni ſua damna Joannes (a)
In proprio doluit Tertius ille ſolo.
Carcere quem natum ſcis, Sigiſmundus honorem
Amiſit Patrui callidiore dolo.
Mente Patrem Proavumq; gerens cur regna laceſſis
Tu CASIMIRI, cûi Svetica ſceptra negas.
Fracta quidem cauſaris Tu Stumdorfia pacta,
Frangere quæ caſu littera omiſſa nequit. (b)
Hoc titulo noſtras popularis milite terras,
Exagitas Urbes, ruraq; templa, domos.
Nec ſatis hæc feciſſe Tibi niſi ſis ſimul hoſtis
Et CRUCIS, in cujus perfide templa ſuris.
Non pietate Tuus miles deductus in altum
It, Monti Calvo ſed mera damna ferens.
Aſt ea ferre nequit, cenſet quæ avertere Numen,
Cum CRUCE ſunt tuto condita cuncta loco.
Quam cupijt nequijtq; ſibi conquirere prædam
Eſt ultus, vitam cùm rapit ecce Viris.
Unum verberibus cæſum, mox igne peruſtum
Exploſa Capiti glande periſſe ſcio.
Alter & eſt medio diſſectus pectore mirum,
De proprio ſint ut viſcera fuſa loco.
Tertius is Patrum ſequitur qui funera Frâter,
Per medium Capitis vulnera ſæva tulit.

 Hæc

Hæc Tua facta Deus vindex Gustave refundet
Inq; Nepote sciens sæpe ferire malum (*)

(*) *CAROLUS XII. Rex Sveciæ contra Danos 1718. cæsus; quemadmodum & ADOLPHUS CAROLUS cæsus apud Lutzenam contra FERDINANDUM II. AD 1632,*

(a) *Piasecki f. 11. Gestorum in Europa singularium.* (b) *Ioachimus Pastorius l. 7.*

Celsissimus, Illustrissimus olim & Reverendissimus D. FLORIANUS Dux in Klevan CZARTORYSKI Episcopus protunc Vladislaviensis, voto ad Montem Calvum visitandæ Crucis Sanctissimæ nuncupato, à peste liber ipse, & suus aulicus Comitatus.

NOnnisi Lechiadas lapsis celebrare duobus
Annis Consilium libera jura cavent.
Et locus & tempus sunt jam præfixa Polonis,
In quibus est Patrio fas dare vota bono.
Et quoniam binæ consurgunt corpus in unum
Gentes, cum Litava Sarmata stirpe potens:
Alternis vicibus placuit transferre Senatum,
In Litavum pariter Sarmaticumq; solum.
Tum socias gentes traxit Varsavia, casus

Quan-

Qvando Klevanio contigit iste Duci.
Nempe lues pestisq; minax invaserat aulam
Principis, instanti morte timenda nimis.
Auxilium qui ferret homo hac ést sorte negatum,
Quæ statuit fatis sternere cuncta suis.
Numina si desint, Superum divinior absit
Cura hominum, tali jam periere malo.
Ergo Crucem Domini Præsul per vota fatigans
Tum sibi, tum famulis, hac prece poscit opem.
CHRISTI Mors, hominumq́; salus, Crux gloria terræ,
Sis signum vitæ, certaq́; causa meæ.
Quæ reparas mundum noxis fatalibus ictum,
Tu mihi, Tu famulo sis medicina gregi.
Spondeo jam pedibus Præsul tua Templa subire,
Quæ tot prodigijs Crux veneranda facis.
In Calvum Montem conscendam viribus istis,
Et conservatæ vota salutis agam.
Annuit his precibus conformis gratia cæli,
Suppressit quando cuncta perîcla luis.
Sospite cum turba Præsul pia vota litando
Divinam sese stiterat ante Crucem:
Et quòd pestiferam Princeps vitaverit auram,
Hæc benefacta sacræ dixerat esse Crucis.

Illustrissimus olim & Reverendissimus D. PETRUS GEMBICKI Episcopus Cracoviensis, Dux Seueriæ, videndæ Sanctæ CRUCIS curiosi-

rioſitate ductus, etiam adhibita ad reſerandã thecam Aurifabri opera, irrita vota cernens, piæ fidei obſequium Sacratiſſimo vitæ ligno cum lachrymis dicat.

SArmatico ſublime decus Mons Calvus in orbe
Mons Sandomirj gloria celſa ſoli;
Præſule ſub Cracio gaudet cæleſtia ſacra
DIVINÆ CHRISTI ſæpe referre Cruci.
Dum quondam Clero Præſul GEMBICCIUS eſſet,
Contulit huc ſeſe religione Crucis.
Feſta fuere, quibus Chriſti tellure ſepulta
CRUX inventa pijs mente redire ſolet.
Ille probis votis iſtud ſuperaddidit unum,
Cerneret ut nudam palpebra vana Crucem.
Advenit, & nigra Benedicti cinctus ab aula
Ducitur in ſuperæ limina ſacra domûs;
Præterit hic reliquas Princeps Celſiſſimus aras,
Ocyor ut vitæ ſigna videre queat.
Quam veneratus mandat recludere thecam,
Et cæpit promptus juſſa ſubire Faber.
Arte ſagax ſimiles doctus præſtare labores
Mirum, non fuerat par reſerare CRUCEM.
Adjvuat hunc præſens factis ſolertia Fratrum,
Viribus aſt junctis irrita vota cadunt.
Ars quantum valuit, potuit prudentia quantum
Quæſita omnibus eſt CRUX reſeranda modis.
Dum labor in caſſum vergit, dum induſtria neſcit

In

In proprium dextrè certa venire ſcopum.
In lachrymas Præſul cedens quòd tangere lignum
Non poſſet Vitæ; ſe probat eſſe reum.
Sicq; CRUCI Sanctæ quam nudam cernere vovit,
Eluſis oculis, dedicat ergo fidem.

Votum Agno Junoſio
CELSISSIMI PRINCIPIS
Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Dñi
CONSTANTINI FELICIANI
In Szaniawy
SZANIAWSKI,
EPISCOPI Cracovienſis, DUCIS Severiæ, cujus manibûs Crux Sacratiſſima in Zebrzydovianam Capellam tranſlata.

NOn alia cerni potiùs ſub imagine Numen
Poſcit, præter quam, Celſe JUNOSZA refers.
Ecce DEI tollens peccatum dicitur Agnus,
Sangvine qui redimit CHRISTUS Ovile ſuum.
Hunc etiam quondam conſpexit Pathmeus Exul
Agnum præalto Monte levare pedem.

Cùm

Cùm ſimili ſimilis ſemper gaudere probetur,
Das meritò plauſus Præſulis Agne DEO.
Vellere dum proprio reddis diteſcere Regna,
Sit pretium mundi CRUX Sacroſancta facis.
Tranſfers ſigna Crucis, toto quæ fulgeat orbe,
Et cuncta fiat parte colenda loci.
Iam per Præſulei decurris culmen honoris,
Majorem voveo Præſule tolle Crucem.
Sed potiùs lanam rubeo continge colore,
Roma ſolet quali condecorare Patres.

Peſtis Anni 1708. & 1709. cujus occaſione Impoſtores quidam in proximo Monti Sanctæ Crucis colle facilè credulam plebem ſimulata pietate illudebant.

INgemuit nuper totus Septemtrio multum,
Quando ſuis Regnis ceſſerat aura favens.
Nam latè cunctis ſpatijs ſua toxica ſparſit
Peſtis, qua gravior cenſeo nulla lues.
Non memorem Gentes alias, nam ſufficit una
Quam ſpectem miſeram, Terra Polona mihi.
Urbibus è claris qui ſe ſubducere fatis
Optabant, ipſâ ſuccubuere fugâ.
Qui verò domibûs nolebant cedere, mortis
Senſerunt medio ſpicula dira lare.
Per vicos tanto mors eſt graſſata tumultu, ut

Nulla

Nulla foret mæsto funere tuta domus.
Effusus populus si qui discurrerat agris,
Sub patulo subijt pallida busta Jove.
In sylvisq; feræ quando sua commoda nossent,
Non ibi se potuit condere nostra salus.
Tantum per cunctos serpsit contagio morbi
Dira locos, varijs ut foret illa locis.
Corpora strata vijs vidisses, surgere fossas,
Et tumulum multos non habuisse dolens.
Ipse pavor sanis mortem svadere sodalem
Est visus, socio tumq; perire malo.
Pharmaca non Chiron tulerat, Podalirius herbas,
Porrexit medicam neq; Galenus opem.
Si quis fatorum furtiva pericula fugit,
Pro certo solo Numine vivus erat.
Tum impietas (aliter dici nempe illa recusat)
Quorundam vulgum fallere duxit iners.
Selegitq; locum, Calvo qui proximus alto *
In collem surgens arbore cinctus erat.
Huc populus velox censens pietate vocari
Conficto tripodi frivola vota dabat.
A longè venere Viri & devotior alter
Sexus, pro vitæ pignore dona ferens.
Contigit & quando compleri oracula Vatum
Casu, plebs dixit cælica facta DEI.
His tumuere dolis, tandem sua condere Vates
Fana parant, venit certa ruina quibus.
Impostor vinctus, justo mox carcere tentus,
Impia sic vafri fabrica lapsa lucri.

* *Ad Villam Wierzchosławice.*

In ferreas Vitreasq; officinas Monti Calvo passim adjacentes, allusio.

I.

ADmisit quondam ferrum Crux lignea CHISTI,
Per ferrumq; Crucem membra cruenta DEI.
Hinc meritò ad Montem, quem Crux Sanctissima tollit,
Ferrea stat multis Lippara sita locis.

II.

ÆStus amoris erat, quo ligna perarrida CHRISTUS,
Nempe homines urens, vitra polita dedit.
In CRUCE præstabat tanti spectacula facti:
Vitrea sunt justè proxima flabra Cruci.

Ad Satuam Lapideam,

Flexis genibus ab Oppido Abbatiali Słupia versus Calvum Montem conversam.

DIluvij redeuntne precor nunc tempora nobis?
Quando Te cerno Deucalionis opus.
sic quondam crevere Viri, quos surgere saxis
Compertum, postquam naufraga terra fuit.
Juppiter ast nostro pluvijs non tempore sævit,
Non hominum noxas nubilus imbre domat.
Quare Vir durus mortalia membra remonstras
Ut vivus, cùm Te diriguisse sciam.

In

In promptu ratio, vivas quod ſaxea moles,
Sangvine Chriſtifero nam calefacta viges.
Diluvium CHRISTUS proprio de corpore fudit,
Ut ſpirent, quinam ſaxa fuere prius.
Nec Te Deucalion jecit, nec flexerat, ergo
CHRISTO pro fuſo ſangvine funde preces.

Calendarium Calvo-Montanum Feſtorum Indulgentijs Plenarijs & concurſu populi celebrium.

Feſta DEUS Virgoq; Parens tum ſancta Propago
Sub Calvo ſoliti ſic celebrare tholo.

I.

Vere novo ſvavem ſpirat dum Martius auram,
Das feſtum populo Tu Benedicte diem.

II.

Inuentamq; CRUCEM tollens mox Majus in altum
Huic pretio plebis florida corda dicat.

III.

Spiritus æthereis cæli delapſus ab oris,
Accendit zelo pectora crebra Virûm.

IV.

September neglecta Crucis dum ſigna remonſtrat,
Majori CHRISTUM vult pietate coli.

V.

Omnia Sanctorum recolit dum Nomina Mundus,
Templa CRUCIS tali tempore læta canunt.

VI.

Dum ſine labe DEI Matris Conceptio ſulget,
Tunc homines alto candida vota ferunt.

VII.

Emerici feſtiva dies hos provocat omnes,
Qui ore CRVCEM poſcunt, tangere mente DEUM.

VIII.

Qvandocunq; redit Calv-Monte dicatio templi
Se dicat auguſtæ plebs numeroſa Cruci.

Ad VIRGINEM BEATISSIMAM Doloroſam, cujus Imago tranſumpta eſt ex Originali Romano in Ara cæli.

SIdereo vultu cælos Tu Virgo nitentes
Exſuperans, cur nunc nubila fronte geras?
Cur lumen clarum radios cur certa doloris
Interpres texit palpebra mæſta Tuos?
Nempe redit ſemper Calvo hoc in culmine menti
CRUX, quòd ſuſtulerit trabs inimica DEUM.
Quòd gládios Matèr præſentes pectore fixos,
Hos mixtus pridem fixit amore dolor.
Bajula cùm Natum ferres ad templa Tonantem
Prædixit Simeon talia tela Tibi.
Dicta Senis revocas, optas & corde feriri,

Ut

Ut ſoboli charæ commoriare Tuæ.
Gaudia ſint lachrymæ nobis: ſit ſub CRUCE langvor
Vita precor noſtrûm, Virgo doloris Amen.

Pontifices Maximi PIUS IV. PAULUS II. PAULUS V. INNOCENTIUS VIII. MARTINUS V. ALEXANDER VII. Indulgentias plurimas Calvo Monti Sanctæ CRUCIS largiuntur.

IN terris verùm Cælo vicina poteſtas
Stringere, tum pariter ſolvere cuncta potens,
Dum famam Calvi Romanìs collibûs alti
Excipit, huc ſpargit munera larga DEI.
Dat veniam noxis, facilis peccata remittit,
Et jubet offenſas conciliare Cruce.

Perilluſtris & Reverendiſſimus Montis Calvi Sanctæ CRUCIS ABBAS ad Gentilitiæ Lunæ morem Colli Sacro proficuus.

QVid quid terra gerit, vel certo tempore pandit,
Luna juvat, veniant ordine cuncta ſuo.
Zodiacum celeri ſvevit decurrere motu,
Inde novas crebrò conficit una vices.
Nunc plenam faciem, nunc monſtrat cornua vultu,
Sed ſemper noſtro convenit illa bono.
Et qvando terræ mediantem ſuſcipit umbram,
Ut proſit rebus, non variata manet.
Ad Sacrum Collem quoties præſentia Patris

Pan-

Panditur, in montem cuncta secunda fluunt.
Romanas qvamvis longè discedat in oras,
Absens præsentem conciliabit opem.
Cerne suo quantum Præses sit proximus astro,
Luna velut terram, sic fovet ille jugum.

Ad D. MARIAM MAGDALENAM vivi & CRUCIFIXI DEI Hominis suppedaneam Cultricem, in cujus quondam Festo Author Montem Calvum adijt.

DUm gemis ad CHRISTI transfixas Magdala plantas,
Iste dolor multos poscit adesse Cruci.
Nec verbum prodis, tamen & sine voce loquenti
Respondent, CHRISTO qui patiente dolent.
Curritur en passim super alti culmina Calvi,
Oscula figuntur Christiferæq; Cruci.
Tu tamen es Princeps, magni tum Præco doloris,
Voce silens, mæsto corde diserta satis.

Ad Philadelphicas Doctoris Angelici Scientias in Calvo Monte florentissimas.

PHocide conservet Musas Parnassea rupes,
Non reddet similem, quàm juga Calva sonum.
Præses Apollo licet propulset barbiton illic,
Sed pariter lætos non ciet ille choros.
Verior hîc longè Thomas, est Cynthius Augur,
Svavisonîs ludens consona cuncta modîs.
Et bene Cassino quinquennis Monte doceri

Inci-

Incipit, ut doceat culmina celsa dein.
Altior hoc collis mundo non surgere visus,
Qui CRVCE Divina surgit ad usq; polos.
Hoc Thomæ regnat floretq; scientia Monte,
Et quæ summa fuit celsior inde patet.
Teste Crucis signo Thomas bene cuncta notavit,
Tam bene Monte Crucis scripta relicta docet.
Pallas Colle sacro tantum quæ nacta Magistrum,
Illius ingenio doteq; cresce Crucis.
Convenit his certè Tecum Schola nostra duobus,
Nos regimur Thomâ, nostraq; sceptra Cruce.

Ad Sanctum Benedictum Montis Calvi Præsidem, ut faveat Poetico operi; quamvis ad ipsius in Montem Cassinum adventum simulacrũ Apollinis corruerit.

NEmo potest nobis tantùm prodesse Magister,
Ut prodesse solent cognita fata Virûm:
Nempe quis exposcet cælis injurius esse
Cæde Gigas propria quos violasse dolet.
Jam Solis nemo flammas deducet in ima
Quando Promethei furta scelesta patent.
Perfidus Ixion Superum de sede remotus
Edocuit quantum dicta soluta nocent.
Sisyphus ingentis pressus sub pondere saxi
Svadet, ne quisquam vivat in orbe latro.

Et

Et Tytius falſo Latonæ addictus amori,
Illuſor cordis, fletq; dolere jecur.
Verùm non potuit quemquam ſubvertére caſus
Major, quem ſubijt Præſes Apollo mei.
Si meus is tantùm poſſit Benedicte vocari,
Caſſini quondam ſubdola verba loquens?
Nam Tu qvum primò veniſti culmen in illud,
Iſtius præſto ſana ruere DEI.
Hoc docuit caſu Muſam, ne frivola metro
Offendat Divi lumina ſancta Patris.
Et certè ſimilem metueret Muſa ruinam
Conſcia ſi dicti futilis illa foret.
Ethnicus aſt error cùm non ſit proximus illi,
Hanc procul à fato lugubriore facit.
Nil proprij dicit, ſed quod narrare notatur,
Hiſtoricis prompſit veriùs iſta libris.
De Cruce cum tandem CHRISTI diſſerere tentat,
Annue votis his, Te Benedicte petit.
Falſus Apollo ruat Caſſino colle ſub orcum,
Dum modò ſtet Calvo candida Muſa jugo.

Apollinea Montis Sanctæ Crucis Annorum Computatio & ſimul omen futurorum.

JAne Pater biſida qui cernis ſecula fronte
Atq; notas cuncti temporis ipſe vices,
Adſtruis en Calvo Monti Tu ſecula ſeptem,
Poſt eadem quot dic, ille vigere poteſt?
Æternus Chriſto reſpondes volvitur Annus,
Fama Crucis tantùm, quam ſine fine Deus.